

Petrus de Vinea

*Ep. V 15 (Generalis
subiectorum nostrorum regni...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 15 (Generalis
subiectorum nostrorum regni...)*

1220-1250

Eidem, ut procedat contra exactiones ultra debitum.

1. Generalis subiectorum nostrorum regni Syciliae auribus nostris inculcata, sepius non sine uehementis admirationis materia, maiestatem nostram sepe querela commouit. 2. Quod, cum de mandato nostro fidelibus nostris collectas imponi contingat, impositores earum, qui cum summa diligentia et sollempnitate debita iuxta nostrorum ordinationem officialium eliguntur, amore, timore, uel odio deuitant, quod iuramento promittunt. Et aliquando quibusdam parcentes, alleuiando consanguineos et affines, pro eorum arbitrio aggrauant reliquos, eis onera importabilia imponendo, nulla sacramenti reuerentia obseruata, nec ad maiestatem nostram aliquem habendo respectum. 3. Quo fit, ut necessario summa imposita tempore congruo et sine magno strepitu haberi non possit, ac ut negotiorum nostrorum et uotorum executio retardetur; collectorum quippe tantum creuit impunita temeritas ciuitatum et locorum aliorum, ut nedum in fisci nostri preiudicium temerariam exactionem exerceant in plerosque, immo improuide partem receptam fiscalis pecuniae in usus proprios conuertere non formidant! 4. Licitum eis fore in nostra putantes absentia, quod nobis in Regno manentibus forte committere uererentur. 5. O tu igitur, quem inter alios fideles nostros elegimus, de tua prudentia et legalitate confisi tibi committimus uices nostras, fidelitati tuae mandantes, quatenus per singula loca, ciuitates et castra iurisdictioni tuae subdita, te personaliter conferens, inquisitionem super hiis facias diligentem, et quicquid inde inueneris, seriatim culmini nostro scribas.